SENTENTIA LATA PER ADMODVM REVERENDVM DOMINVM HYACINthum de Amaya Presbyterum S.T.D. Archidiaconum Maiorem Ecclesiæ Cathedralis Segobricen. Iudicē, & Commissariū Apostolicū Em. D. Hisp. Nūcij Apostolici.

DE VOTO, ET CONSILIO

DOCTORIS IOANNIS BAPTISTÆ YVAÑEZ PRESBYteri prædictæ Ecclesiæ Canonici Doctoralis, Assessoris assumpti.

IN CAVSA

VINDICATIONIS IRREVERENTIÆ, ET INIVRIÆ illatæ AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO in Ecclesia Monasterij Monialium de la *Zaydia* nuncupati.

PRO

Fisci Ecclesiastici Procuratore.

CONTRA

Fratrem Petrum Sàlla Presbyterum, Fr. Michaelem Calbèt, & Fr. Isidorum Gil, Ordinis Cisterciensis.



Valentiæ, Typis Hieronymi Vilagrasa, iuxta Molendinum de Rovella. Anno 1668.

✠

XPS. QVIA commiſsione ab Eminentiſsimo Domino Vitaliano Vicecomite Borromeo, S.R. Eccleſiæ Presbytero Cardinale, Sanctiſsimi Domini noſtri Domini Clementis Divina providẽtia Papæ IX. eiuſdemque Sedis in his Hiſpaniarum Regnis, cũ poteſtate Legati à latere, Nũtio, Iuriũque Cameræ Apoſtolicæ Collectore generali, Nobis directa, & trãſmiſſa, litteris ab eodem expeditis Matriti, Toletan. Diœceſis, ſub die vigeſima octava Menſis Maij proximè elapſi, commiſſum, & mandatum extitit: quatenus præfatis litteris viſis, atque receptis, & poſtquam illarum vigore fuerimus requiſiti, Nos informaremus ſuper exceſsibus, delictis, & ſcandalis in maximum dedecus, ſeu ludibrium Sanctiſsimi Euchariſtiæ Sacramenti, & Populi ſcandalum a nonnullis perpetratis, & commiſsis in die Aſcenſionis Domini in Eccleſia Monaſterij Monialium de la *Zaydia* nuncupati, huius Civitatis Valentiæ, Ordinis Ciſtercienſis, cùm Frater Franciſcus Monreal earundem Monialium Confeſſarius in illa comprehendi tentaretur, ut latius eidem Domino Nuntio, piis admodum, ac iuſtis inſtantiis exponi fecit Sereniſsima, ac Potentiſsima Hiſpaniarum Regina Catholica: quibus prænominatus Dominus Nuntius inclinatus; & exceſſus, ac delicta huiuſmodi minimè impunita remanere, Populique ſcandalo conſulere cupiens, prædictam Commiſsionẽ Nobis directam exequi mãdavit, contra omnes quos culpabiles, & de Iure punibiles, præfato Domino Nuntio, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectos compererimus, adverſus eoſdem per opportuna Iuris, & facti remedia, etiam uſque ad Sententiam diffinitivam, & illius executionem incluſivè procedendo; & procedi mandando, prout in præfatis litteris fuſiùs continetur: & huiuſmodi mandatis, ac iuſsionibus obtemperantes, earundemque litterarum Nobis pro parte Fiſci Regij Procuratoris præſentatarum, & à Nobis grato animo, & ea qua decuit reverentia re-

ceptarum formam; & tenorem insequentes, informativum Processum super eisdem excessibus, delictis, & scandalis confici, ac fabricari mandavimus; & ex contentis in eodem Doctor Iosephus Iacobus Zaragoçà Presbyter, Rector Parochialis Ecclesiæ Loci de Meliana, præsentis causæ Promotor, ac Procurator Fiscalis, libello ab eo oblato die vigesima octava Mensis Iunij proximè præteriti, Nobis exposuit: quòd prædicta die Ascensionis Domini, hora quasi decima ante Meridiem, Frater Petrus Sàlla Presbyter, Monachus Cisterciensis, Frater Michaël Calbèt, & Frater Isidorus Gil, eiusdem Ordinis Religiosi Conversi, Regiis Ministris, & aliis personis sociati, introgressi fuerunt in prædictam Ecclesiam; præfati videlicet Conversi, palliis brevioribus, eisdemque in humeros, seu brachia revolutis induti, capitibus pileo coopertis, & singuli singula tormenta ignea brevioris mensuræ, vulgo, *Caravinas*, manibus gestantes, eo tempore, & hora, qua prædictus Frater Franciscus Monreal existens in Capella Sancti Bernardi intra dictam Ecclesiam consistente, ubi ad Sacram Eucharistiam ministrandam Sacra Vascula ipsam continentia asservantur, & Sacris indumentis, ut moris est, amictus, Eucharistiam ipsam aliquibus Monialibus prædicti Monasterij ministrabat, eo apparatu, & ornatu, quo solet in dicta Capella ministrari, duobus videlicet cereis accensis super Altari prædictæ Capellæ, & aliis duobus ad crates ferreas serico tunc temporis pro more ornatas, per quas Sacra Synaxis Monialibus prædicti Monasterij sumenda porrigitur; quem sic, ut præfertur, existentem, & in eo temporis articulo, quo prædictæ functioni finem imponebat, manibusque tenentem Pyxidem, seu Vasculum Hostiis Consecratis fermè refertum, clausum iam tunc suo cooperculo palliolo quodam circumornato, prædicti Religiosi Conversi, impetu facto cum strepitu, irreverenter, & cum scandalo, aggresi fuerūt, dirigentes prædicta tormenta ignea, aut sclopeta in dictum Fratrem Franciscum Monreal, eo situ, & habitu corporis ibidem stantem, ut quilibet in dictam Ecclesiam per quodcumque eiusdem ostium introgressus, accedendo ad dictam Capellam, non posset eundem non videre, simulque prædictum

dictum Vasculum quod in manibus gerebat: Et propriùs accedens præmemoratus Frater Michaël Calbèt ad prædictum Fratrem Monreal, eidem prædicto sclopeto, quod gerebat in manibus, ictum inflixit in humero sinistro, qui adeo gravis extitit, ut præfatus Frater Monreal, toto corpore contremisceret, & cooperculum prædictæ Pyxidis, simul cum palliolo quo erat circumindutum in solum deciderit; & nisi statim ictu inflicto ad præfatum Fratrem Monreal fulciendum, & sustentandum accurrissent Frater Isidorus Pannach Presbyter Carmelita, & Frater Didacus del Olmo, etiam Presbyter Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede professor, qui ibi casu præsentes aderant, ipsum Sacrum Vasculum Hostias cõsecratas continens in solum corruisset: & cùm prædicti Religiosi Carmelita, & de Mercede adeo detestabile facinus, & sacrilegam in Presbyterum manuum iniectionem obiurgarẽt, prænominatus Frater Michaël Calbèt erexit silicem prædicti sclopeti, quasi illud ad displodendum proximè parando, atque id ipsum sic proximè paratum direxit, & intendit versus dictum Fratrem Didacum del Olmo, qui corpus ab imminenti periculo submovendo incidit in lampadem quæ in dicta Capella coram Augustissimo Sacramento ibi asservato ardebat, effussoque oleo quo alebatur, tinctum, & respersum fuit indumentum lineum, sive Rochettum quo indutus erat prædictus Frater Mõreal, & simili respersionis periculo prædictæ Hostiæ consecratæ exponerentur, nisi manu dicti Fratris Monreal prædictum Vasculum coopertum fuisset: iterumque memoratum sclopetum præfatus Frater Calbèt cõvertendo, seu contorquendo, alium etiam ictum prædicto Fratri Isidoro Pannach in dorso intulit, & tunc ad Altare prædictæ Capellæ propriùs accedente, & super eiusdem gradum ascendente prædicto Fratre Monreal, educenteque ex prædicto Vasculo unam ex Hostiis consecratis in eodem cõtentis, & eam ad populum converso ostendente, ut invasores ab aggressione abstinerent, accessit ad prædictam Capellam prænominatus Frater Petrus Salla, qui capiendi dictum Fratrem Monreal potestatem se habere dicens ad ipsius genua

manus applicuit, quem cùm ibi vidiſſet prædictus Frater Pannach, & rememorans præfatum aſſultum, atque irreverentiam, quæ in Sanctiſsimum Sacramentum committebatur, admonuit prædictum Fratrem Sàlla, ut Chriſtum ſub Sacramento exiſtentem revereretur, & neutiquam permitteret ita irreverenter, & cum tanto dedecore tractari; quo audito prædictus Frater Sàlla in hæc temeraria, malè ſonantia, & ſcandaloſa quæ ſequũtur verba prorrupit: *De aont consta que esta Sacramentat?* Et ſermonem proſequendo cum dicto Fratre Monreal, his iterum verbis irreverentibus locutus eſt. *Deixe aixo, que esta vegada no te remei.* Hæc autem ludibria, dedecora, & irreverentias ſpectantibus Monialibus prædicti Monaſterij, quæ aderant iuxta dictas crates ferreas dictæ Capellæ, & in aliis locis ſuperioribus prædictæ Eccleſiæ, cratibus etiam circumcinctis, & in eiuſdem Eccleſiæ corpus prominentibus, vocemque eiſdem Monialibus extollentibus, præfataque ludibria, atque impudentias exprobrantibus, prædicti Fratres Converſi in diverſa loca dictæ Eccleſiæ ubi prædictæ Moniales aderant, prædicta tormenta ignea, ſive ſclopeta, quaſi ea diſploſuri, intendebant: præterea ſic, ut prædictum eſt, ſtante memorato Fratre Monreal, oculos in eum intendens ſæpè dictus Frater Calbèt, irridendo, & diverſis geſticulationibus ſubſanando, linguam exerendo, manum agitando, & ventilando, eiuſdem pollice iugulum comprimente, inconditiſque vocibus loquendo, nequaquam tunc evadere poſſe prænominatum Fratrem Monreal, irriſoriè nimis iactitabat. Deinde cùm prædictus Frater Sàlla ſeceſſiſſet ex dicta Capella Sancti Bernardi ubi aderat, ut prædictum eſt, dictus Frater Monreal in aliam Capellam Beatæ Mariæ de Fide, quæ eſt è regione dictæ Capellæ Sancti Bernardi, mandavit prædictis Religioſis Converſis, ut iterum aggredientes prædictum Fratrem Monreal, ſic, ut prædictum eſt, ſtantem, ad ſe captum adducerent ſimul cum prædicto Sacro Vaſculo Hoſtias conſecratas continente, ſe eaſdem ſumpturum dicendo; qui iam ſe illuc conferentes à quibuſdam impediti fuere, versùs quos etiam prædicta ſclopeta intenderunt nihil reveren-

tes

tes tanti Sacramenti conſpectum, quo ſic adorationi, ut præfatum eſt, expoſito per ſpatium unius horæ cũ dimidia, adeò ſe impudentèr, irreverentèr, ac ſcandalosè geſſerunt hinc inde per prædictam Eccleſiam tectis capitibus diſcurrendo, ut universim prædicto Monaſterio, præſenti Civitati, & Regno graviſsimum ſcandalum ſubortum fuerit; hæc omnia intuente, & permittente prædicto Fratre Sàlla, qui ad prædictũ Fratrem Monreal apprehendendum ſe facultatem habere aſſerebat, & eidem prædictum Sacræ Euchariſtiæ Vaſculum ſic tenenti capiendo inſiſtebat; cùm tamen id ſibi ſuadere debuerit nullatenus in ſimili caſu ſuam aſſertam commiſsionem exequi poſſe. Ex quibus ſic deductis, & latiùs in præfato libello expoſitis, præfatus Promotor Fiſcalis præmemoratos Fratres Petrum Sàlla Presbyterum, Michaèlem Calbèt, & Iſidorum Gil criminaliter denuntians, & accuſans puniendos fore, & eſſe petendo concluſit iuxta prædictorum exceſſuum, & delictorum qualitates, prout, & quatenus ex prædicto informativo Proceſſu apparere dignoſcuntur. Et quia ex prædicto facto cum ſuis qualitatibus prænarrato, & ſufficientibus probationibus instructo; tàm in prædicto informativo Proceſſu, quàm deinceps in contumaciali adverſus dictos Religioſos per Edictũ, & aliàs citatos fabricato, ex quibus prædicti Fiſci Procuratoris intentio, adiuncta etiam prædictorum citatorum contumacia, ſatis remanet iuſtificata, diverſæ oriuntur delictorum ſpecies, quibus ſuas ſigillatim pœnas reſpondère iuri, ac rationi valdè conſonum eſt; conſiderare, atque attendere in primis opportet, prædictum Fratrem Michaelẽ Calbèt multipliciter ſacrilegij crimen perpetraſſe, cùm ex perſonis offenſis, loco, tempore, atque aliis circumſtantiis ſacra violaverit: iniectio quippè violentæ manus in prædictum Fratrem Monreal Presbyterum in præfata Capella exiſtentem, tum ratione perſonæ, tum ratione loci, ſacrilegij reatus noſcitur manifeſtus, tantò execrabilior, & deteſtabilior, quò devotiori obſequio eius perſona Auguſtiſsimæ Euchariſtiæ Vaſculum manu tenens ſuſpicienda, ac reverentiùs tractanda veniebat. Qua ratione ineſt, & alia ſacrilegij ſpecies; quia cùm ad

 Sa-

Sacerdotem Euchariſtiæ Vaſculum deferentem confugientes Eccleſiaſtica gaudeant immunitate, qua etiam potiori iure gaudere debet & ipſe qui eam defert, ſi attentetur deferentis Sacerdotis apprehenſio, violata videtur immunitas, ſicut & attentatione ſola violatur, cùm quis in loco ſacro exiſtentem extrahere attentat, quo caſu præterquam quòd crimen leſæ Maieſtatis committitur, & infamiæ nota ex ſacrilegij crimine proveniens contrahitur, per Apoſtolicas Conſtitutiones denuò editas extrahere attentans excommunicationis latæ ſententiæ vinculo, & aliis pœnis innodatur. Et ubi ſimilis Iuris æquiparatio adeò probabili fundamento ſuffulta non admitteretur, nemo eſt qui iure poſsit ambigere deteſtabilem, & omnimodo execrabilem irreverentiam committi, cùm quis Sacerdotem Sacris Veſtibus indutum Auguſtiſsimamque Euchariſtiam manibus geſtantem, & in actu adminiſtrationis, & diſpenſationis eiuſdem occupatum capere, ſeu comprehendere attentat; cùm eo caſu Sacerdos ex ſupremi Cælorum Regis Maieſtate, cui in tali miniſterio ſibi admodum grato deſervit, quaſi Regio diplomate in Principis aſſertus poteſtatem omnimoda gaudere debeat libertate. Nec parum creſcit iniuria, & irreverentia prædicta ſi tempus ſpectetur, ipſa videlicet feſtiva dies Aſcenſionis Domini in qua eiuſdem triumphalis in Cœlos colitur exaltatio, ad cuius ſolemniorem celebritatem, pluribus in locis adhibetur Sacramentalis Chriſti præſentiæ manifeſtatio ſpeciali cultu, & obſequio celebranda. Quibus omnibus accedit, quòd prædicta ictus inflictio, ſive percuſsio æquiparanda venit crimini leſæ Maieſtatis, imò & ipſa eſt crimen leſæ Maieſtatis Divinæ: ſi enim tale crimen committit qui lateri Regis temporalis, ac terreni aſsidentes, ſeu aſsiſtentes percutit, quanto magis qui Regem ipſum cæleſtem, & æternum ſuis manibus geſtantem, eique in miniſterio diſpēſationis ſui corporis adeo ſibi accepto actu deſervientem, & armorum terrore afficit, & percutiendo cōtrectat; cùm etiam, ſecluſa prædicta percuſsione, ſola metus, & terroris incuſsio adeò gravis, qualis fuit directio, & intentio ſclopeti brevioris menſuræ adverſus prædictum Fratrem

trem Monreal Sacra Myſteria ſuis manibus deferentem, atrox iniuria exiſtimari debeat,tum ob nimiam impudentiam,& inſolentiam talia attentantis,tum etiam ob periculum quod ſimilis attentatio minatur; cùm accidere facilè poſſit,ut Sacerdos metu expaveſcens,vel terrore percuſſus in ſolum Hoſtias Vaſculo incluſas diſperſurus concidat. Quod periculum nimis excrevit in prædicto caſu; quippè non ſolùm metus illatus fuit,& terror incuſſus;ſed etiam gravis ſecuta percuſsio præfato ſclopeto facta. Nec his contentus prædictus Frater Michaël Calbèt, crimina criminibus cumulando, in prædictum Fratrem Didacum del Olmo præfatum ſclopetum direxit,cuius ſilicem quaſi ſe ad diſplodendum parando contra eundem erexerat, in quo ſimilem ex metus, & terroris incuſsione reſultantem reatum contraxit tātò reprehenſibiliorem,& animadverſione digniorem, quantò maior arguitur eiuſdē Fratris Calbèt pervicacia, qui cū obiurgatus à dicto Fratre Didaco del Olmo,quòd tātū facīnus admiſiſſet dictū Fratrē Mōreal percutiēdo,& ita ſeſe inſolenter gerendo; ubi admonitus reſipiſcere debuiſſet,obiurganti prædictū incuſsit terrorē,& prædictū Fratrem Pannach itidem eodē ſclopeto in dorſo percuſsit,ex quo,& ſe ipſum novo excommunicationis mucrone vulneravit. Quæ omnia, & ſingula, quamvis ex ſe gravia ſint, perſonarum iniuriis affectarum qualitate penſata,multò graviora redduntur, & ex loci ſacri, in quo admiſſa ſunt,circumſtantia, & quod maximum eſt, quia coram Maximo, & Auguſtiſsimo Euchariſtiæ Sacramento patrata fuerint. His accedunt etiam repetita attentatio invaſionis, & irruptionis in prædictum Fratrem Monreal prædictam Hoſtiam manifeſtam, & adorationi expoſitam in manu habentem;metus, & terror non ſemel incuſſus prædictis Monialibus in dictis locis exiſtentibus in eas prædictum ſclopetum intendendo;diſcurſatio per Eccleſiam tecto capite in conſpectu tanti Sacramenti; & ipſa prohibitorum armorum delatio,qualia ſunt prædicta ſclopeta brevioris menſuræ,quæ ex ſe ſola venit acriter punienda;nam ſi; & ubi de poteſtate quam prædictus Salla ad capiendum præ-

dic-

dictum Monreal habere se asserebat, aut facto ipso supponebat, constitisset, non erat ipsi integrum familia uti armata, neque prædictis Religiosis ipsum comitantibus armorum maximè prohibitorum delationem indulgere, quippè de tali facultate illam indulgendi minimè constat, nec ea præsumi debet; cùm sibi ad prædictum effectum abundè superesset Brachij Secularis auxilium invocasse. Iam verò quoad præmemoratum Fratrem Isidorum Gil attendenda, & animadvertenda venit ex eadem ratione eorundem prohibitorum armorū delatio, metus, ac terroris incussio eadem arma in diversos collimando, & intendendo, æqualis irreverentia in eo quòd tecto capite per dictum Ecclesiam incesserit, nec dispar delictum in attentando irruptionem in dictum Fratrem Mōdreal, & ad eundem effectum prædictum Fratrem Calbèt associando, & sese cum eodem coniungendo; ex quibus quamvis non ita, & eodem modo quo prædictus Frater Calbèt deliquisse probetur, cùm ille in præmemoratis percussionibus ab eo factis excesisse dignoscatur: in eas tamen non ita influxisse dicendum est prædictum Fratrem Gil, ut omnino prædicti excessus particeps effectus fuerit; licèt enim abstinere debuerit ab invasione, & irruptione in ipsum Fratrem Monreal, prædictum Sacræ Eucharistiæ Vasculum manibus tenentem, facienda; non tamen prædictis percussionibus, & ictibus à prædicto Fratre Calbet inflictis, nec terrori supramemorato ab eodem incusso opem, & auxilium proxime tulisse cōvincitur, cùm sine prædictis percussionibus, & incusso terrore in quibus excesisse manifeste deprehenditur, ad capturam, & apprehensionem prædicti Fratris Monreal, ubi sic stantem apprehendere fas esset, procedere potuisset. Quamvis tamen in reiterata posterioris aggressionis attentatione pari delicti reatu cum prædicto Fratre Calbèt constrictus censeatur, eo quòd ambo ad dictum, seu iussionem prædicti Fratris Sàlla ex prædicta Capella B. Mariæ de Fide, ubi aderant, insimul iter arripuerint ad dictā Capellam S. Bernardi, ubi aderat prædictus Frater Monreal dictā Hostiam consecratā adorationi expositā tenens, eundē, cū eorūdē armorū strepitu

appre-

apprehensuri. Ob quæ, mitiùs tamen,prout infrà , venit pu-
niendus.Ex eadem autem iteratione attentationis capturæ,
& apprehensionis,quam prædictis Religiosis Conversis præ-
dictus Frater Sàlla exequendā indixit,venit in eo eadē delicti
perpetratio consideranda,quæ in dicta attentatione apprehē-
sionis suis qualitatibus,& circumstātiis supramemoratis so-
ciata,attendi debet,cū ex mādato suo mandans,sicut & man-
datarius teneatur. Quoad primam verò apprehensionis præ-
dicti Fratris Monreal attentationem , quæ ad proximiorem
actum modo,& forma supradictis devènit, licèt præsumen-
dum sit,quòd eam exequi tentavèrint prædicti Conversi de-
mandato dicti Fratris Sàlla,cùm ipse ex loco dictæ Capellæ
Beatæ Mariæ de Fide, in quo aderat, maximè ibidem simul
cum dictis Conversis ante aggressionem parumper commo-
ratus cernere facilè posset prædictum Fratrem Monreal Sa-
cris indutum Vestibus,& prædictum Vasculum manibus te-
nentem in dicta Capella Sancti Bernardi existentem , quæ est
è converso, seu, è regione , ut prædictum est , quo sic stante,
propter scandalum quod verosimiliter vereri debuerat aliter
procedere tenebatur:in eo tamen,in quo mandatarius,videli-
cet prædictus Frater Calbèt,excesisse noscitur, non est omni-
no dicendus eiusdem particeps delicti , quamvis nec plenè,
obsistentibus sibi gestis, & actionibus subsecutis , excusatio-
nem possit obtendere:cùm enim verosimile sit conscium ip-
sum extitisse prædicti excessus in præfatis percussionibus, &
terrore incusso commissis,quas videre potuit,etiam si non ità
subitò ad præfatum excessum impediendum accurrere vale-
ret;eo tamen commisso, prædictum Fratrem Calbèt acriter
obiurgare tenebatur, nec ampliùs eius opera uti ; immò &
eundem vitare,& à prædicta Ecclesia eiiciendum curare tan-
quam ob prædictam percussionem, excommunicationis gla-
dio percussum,vel saltem ob id maximè prædicta præstare te-
nebatur,quòd prædictus Frater Calbèt audacter nimis , im-
pudenter , ac cum magno tanti Sacramenti dedecore in præ-
dicta apprehensionis attentatione se gesisset. A qua obiurga-
tione,& exprobratione,quam saltim adhibere debuisset adeò
abfuit

abfuit,ut eosdem Religiosos Conversos ad secūdam apprehensionem,& capturam exequendam,illam expresiùs indicēdo,provocaverit. Deinde,nec tolerare debuerat tamdiu locū fieri tot clamoribus,& vociferationibus,quæ in dicta Ecclesia cum magno strepitu,& scandalo fuerunt exortæ occasione tā diuturnæ detentionis,ac commorationis eiusdem Fratris Sàlla,& prædictorum Fratrum Conversorum in prædicta Ecclesia, insistendo semper in dicta apprehensione exequenda, cùm & locus,& tempus, & eventus confestim discedendum suaderent,vel saltim aliam excogitandam viā,qua tot,& tāntis impudentiis,ac ludibriis ibi commissis, Christi Domini sub Sacramento existentis Maiestate præsente,obviaretur. Et quia præfati excessus, & delicta singula quoad singulos delinquentes considerata ex multiplici capite , & diversarum circumstantiarum gravitate,prout sæpe dictum est , execrabiliora,& detestabiliora reddūtur,præsertim in hisce Hispaniarum Regnis,& maximè in hac Vrbe , ubi Augustissimi Sacramenti Eucharistiæ devotio ferventissima ita fidelium cordibus inhæret,ut in eius cultu tantum quantum possint videantur audere , nec modico mœrore afficiantur , si quidquam tanti Sacramenti reverentiæ detractum viderint, summam emper ducentes,ut iure ipso clamante par est , omnem rationsem quæ pro Religione facit : & insuper similes culpæ nedum in Religionem , sed in id quod in Religione nostra summum,& maximum est admissæ,præcipuè publico scādalo invalescente,& populi mœrore,dilata vindicta,in dies augescente acrioribus,& severioribus pœnis plecti debent, cùm in his culpis iuxta Iuris Sententiam culpa sit relaxari vindictam. Id circo,his,& aliis attentis,ac maturè perpensis , solum Deum præ oculis habentes,eiusque Vnigenito Filio Domino nostro Iesu Christo sub Sacramento existenti illatam iniuriam vindicare cupientes,& votis præmemoratæ Serenissimæ,ac Potentissimæ Hispaniarum Reginæ pro suo erga Religionem nostram Catholicam,& præcipue erga tanti Sacramenti cultum ardentissimo zelo suis ad Nos transmissis litteris severissimam,intra Iuris tamen,& iustitiæ terminos,

con-

contentam animadverſionem,& vindictam de præfatis exceſſibus ſumi maximopere deſiderantis omnimodo quantum par eſt ſatisfacere peroptantes, pronuntiamus, ſententiamus,& declaramus prædictum Fratrem Michaëlem Calbèt ex præfata duplici percuſsione,& violenta in præfatos Religioſos Presbyteros manuũ iniectione in duplicẽ excõmunicationis maioris pœnam ipſo facto incurriſſe, uti manifeſtum Canonis *Si quis ſuadente Diabolo* tranſgreſſorem, & ex eàdẽ ratione,uti præfati multiplicis ſacrilegij, prædictis circumſtantiis adiunctis,ex multiplici capite graviſsimi perpetratorem, infamiæ nota maculatum remanere; cuius excommunicationis abſolutionem, ex prædictis rationibus, Sedi Apoſtolicæ reſervatam eſſe declaramus;eundemque ob præmiſſa omnia in unum collecta,in quibus deliquiſſe noſcitur,ad perpetuas triremes perſonaliter remigaturum damnamus: Prædictum verò Fratrem Iſidorum Gil, quia multò minùs deliquiſſe comperitur, ad triennales triremes perſonaliter etiam remo deſerviturum pariter condemnamus, duplicata eum pœna dictarum triremium puniturí, ſi prædictæ pœnæ impoſitioni parère detrectaverit, ſeu quovis modo contravenerit. Tandem verò prædictum Fratrem Petrum Sàlla Preſbyterum temporalibus Officiis,vel Muneribus, ſiquæ in ſuo Ordine Ciſtercienſi obtineat,privandum fore cenſemus,prout Nos præſenti Sentẽtia privamus;eundemq; triẽnali carceri, vel in ſuo Monaſterio,vel in alio ſui Ordinis,à Nobis in executione præſentis Sententiæ deſignando,mancipamus; & inſuper per ſexennium voce activa,& paſsiva privamus:quibus omnibus pœnis,& ſingulis,ſi contravenerit,aut parère recuſaverit,in caſum contraventionis,& non paritionis, tàm carceris,quàm vocis prædictæ privationis pœnam duplicamus. Quod autem attinet ad culpam,quam ob prolationem dictorum verborum malè ſonantium, temerariorũ, & ſcandalũ inferentium,prout talia à prædicto Fiſci Procuratore nominãtur,contraxiſſe noſcitur,an,& quid à Nobis ſuper ea pronuntiandum ſit,ob conſultationem cum præfato Domino Nuntio præmittendam,maturiori iudicio reſervamus. Quod ita pronuntiamus,ſententiamus,& declaramus, non ſolùm præmiſ-

misso, verùm etiam omni alio meliori modo quo possumus.

Doct. Hyacinthus de Amaya Archid. Maior Ecclesiæ Segobr. Iudex, & Commiss. Apost.

V^t. Doct. Ioan. Bapt. Yvañez Can. Doctoralis Segobric. Assessor assumptus.

V^t. Doct. Isidorus Segura Præpos. Eccl. Valent. Advoc. Fiscalis.

Lata, lecta, & publicata fuit huiusmodi Sententia de provisione, & mandato dicti admodum Reverendi Domini Iudicis, & Commissarij Apostolici, sub die vigesima Mensis Iulij Anno à Nativitate Domini millesimo sexentesimo sexagesimo octavo, in domo suæ solitæ habitationis sita in præsenti Ciuitate Valentina, in Parochia Sancti Martini, in vico dicto de San Vicente, è regione Ecclesiæ Sancti Augustini, mane hora audientiæ, de decima ad undecimã horas, ante Meridiem, pro Tribunali sedentis, instantibus, & supplicantibus Doctore Iosepho Iacobo Zaragoçà Presbytero Rectore Ecclesiæ Parochialis Oppidi de Meliana, Fisci Ecclesiastici præsentis Causæ Promotore, ac Iosepho Molina Notario, Fisci Regij Procuratore, per me Licentiatum Ioannem Ferrer Presbyterum, Vicarium perpetuũ Ecclesiæ Parochialis Villæ de la Alcudia de Carlet, auctoritate Apostolica Notarium publicum, ac Scribam dictæ, & præsentis Causæ, parte altera absente, citata, & non comparente. Præsentibus ibidem pro testibus Dõ Emmanuele Català, & Mompalau Presbytero Sacræ Theologiæ Doctore, Canonico Ecclesiæ Metropolitanæ Valentinæ, Don Gastone Mercader Ordinis, & Militiæ B. Mariæ Muntesiæ, & Sancti Georgij de Alfama Comite de Buñol, Don Petro Boyl de Arenòs Domino Oppidi de Borriol, Don Ludovico Carroz Domino Oppidi de Toga; Don Ximenio Perez Ruiz de Liori, Deputato, Don Ildefonso Milan de Aragon, Don Orgerio Català, & Mompalau Ordinis B. Mariæ Muntesiæ & Sancti Georgij de Alfama, Don Hieronymo Monsoriu, eiusdem Ordinis, Don Iosepho Marti, & Iofrè, Dõ Frãcisco Iofrè, Don Ioseph Artès, Hieronymo Salelles Presbytero Vicario perpetuo Ecclesiæ Parochialis Sancti Petri, Ioachimo Ayerdi Presb. in Ecclesia Metropolitana Valentina Beneficiato, & aliis quamplurimis Nobilibus, Ecclesiasticis, & Secularibus in multitudine copiosa. Refert Ioannes Ferrer Presb. Not. Apostol. Scriba, & Secret. præsentis Causæ.

Valentiæ, per Hieronymum Vilagrasa, iuxta Molendinum de Rovella, Anno 1668.